

pro summis missis in parrochiis faciendis. Unde juxta inveteratam consuetudinem mane in aurora sub una et eadem hora plebanus ordinet primas missas in ecclesiis beate Marie et sancte Katherine simul dicendas, inchoandas et terminandas, secundum distinctas tamen quatuor anni partes, ut tempore vernali a festo purificationis [*Febr. 2*] usque pasce et tempore autumnali a festo assumptionis gloriose virginis [*Aug. 15*] usque omnium sanctorum [*Nov. 1*] sint prime misse in parrochiis finite hora 6 mane, nec compulsetur pro summa missa nisi hora sit signata octava; tempore estivali a festo pasche usque ad assumptionis Marie misse aurore finiantur hora quinta et compulsetur post septimam horam; hyemali tempore misse prime in parrochiis terminentur hora septima nec compulsetur nisi in medio 8 et 9 horarum, ut a fine primarum missarum in parrochiis usque ad compulsum pro summa populus libere valeat visitare ecclesiam fratrum pro sua explenda devocione et fratres illa hora possint populo celebrare divina, licitum inde sit fratribus maturius pulsare ad dicendum primam et 3<sup>am</sup> ante eorum missas. Et ne fraus vel dolus intercedat, non fiat in parrochiis aspersione aque benedictae nec processio, nisi compulsus pro summa missa sit factus. Nox et dies Christi cum anniversario dedicationis ecclesiarum plebani et fratrum sint ab hac ordinatione excepti, in quibus quisque faciat sicut videt pie faciendum. Feriatis vero diebus tam plebanus quam fratres ca[n]tent orent et celebrent horis quibuscunque placitis.

2<sup>us</sup> est de predicationibus utroque faciendis. Cum secundum capitulum „Dudum“ de sepulturis in Clementinis<sup>99)</sup> fratres possint omni hora meritorie populo predicare, verumtamen in pacis concordie et caritatis augmentum fratres volunt de predicatione diebus dominicis mane supersedere et tantum defunctorum nomina intimare populo ad orandum pro eisdem. Plebanus cum suis cappellanis si volunt predicent sub summis missis diebus dominicis et festivis, sicut mos fuit opidi pretacti veteranus. Die anniversario dedicationis sue fratres ad predicandum volunt manere liberi, nec plebanus in aliqua suarum impediatur ecclesiarum illo die. Feriatis diebus plebanus habeat ad predicandum 3., 5. et 6. ferias per anni circulum, fratres vero reliquos tres dies habeant. Sed excipiuntur semper celebria festa, in quibus, si volunt, fratres predicent quocunque venerint die infra ebdomadam; si vero die venerint dominica, fratres brevem possunt facere de festo exhortacionem.

3<sup>us</sup> articulus est de libera confessione fratribus facienda, 4<sup>or</sup> habens puncta mox sequencia. Primus, quia secundum memoratum capitulum „Dudum“ fratres minores domino episcopo dyocesano semel legitime presentati libere, hoc est sine licencia plebani sive curati, possunt confessiones audire parrochianorum sanorum et infirmorum etiam in extremis constitutorum, et parrochiani ipsi libere et sine licencia sui plebani sive curatorum possunt confiteri fratribus minoribus etiam in domibus ipsorum laicorum vel clericorum et absolvere et absolvi sine licencia curatorum, in casibus tamen simplicibus, nisi ex concessione domini pape aut domini episcopi Nuenburgensis aliud obtinerent fratres de gracia speciali juxta sanctionem summorum pontificum Alexandri 5. in constitutione „Regnans in [ex]celsis“<sup>100)</sup>,

<sup>99)</sup> Clement. lib. III tit. 7 cap. 2.

<sup>100)</sup> Wadding, Annales Minorum IX, 508.